

# **Anonymi responsoriae ad auctorem dissertationis epistolicae in I. Thess. V : 23. de tribus hominis coelitus renati partibus essentialibus**

Autor(en): [s.n.]

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - (1746)

Heft 4

PDF erstellt am: **13.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394588>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

---

ANONYMI Responsoræ

Ad

Auctorem

DISSERTATIONIS EPISTOLICÆ

in I. Thes. V : 23.

de

Tribus Hominis cœlitus renati Partibus  
Essentialibus.

---

I. Thes. V : 21.

Πάντα δοκιμάζετε . τὸ καλὸν  
κατέχετε .

---

§. I.

**A** Nonymus Autor Libelli: Das ganze Loos  
eines wahren Gläubigen; Geist, Seel  
und Leib, qui hoc currente anno Basi-  
leæ prodiit, volvens *Particulam secundam Musei Hel-  
vetici* ad juvandum Literas etiam hoc anno a-  
perti, repperit tum Recensionem Libelli sui su-  
pra memorati in *Novis Literariis*, tum *Dissertatio-  
nem Epistolicam in I. Thess. V. 23. de tribus Ho-  
minis Cœlitus renati Partibus.*

§. II. Longa annorum ferie & variis experi-  
mentis edoctus didicit Judicia Hominum, The-  
ologorum speciatim, ex cæco Fervore profecta  
contemnere ac soli veritati scrutandæ operam  
dare.



dare. Qui talibus displicet, placet (a) Veritatis Amatoribus & Scrutatoribus. Et quare non contemnendi ac commiseratione prosequendi ejusmodi Polemici, qui nequidem scripta, quæ mordaciter censent, legunt, statum Controversiæ detorquent & quod ex principiis propriæ Religionis Verum, Solidum ac Orthodoxum est, habent pro Suspecto, Fanatico, Heterodoxo?

§. III. Certus sum & mecum omnes, qui Libellum dictum vel obiter tantum legunt, (b) Competitorem illum Bernensem; qui pro vacante Cathedra Elenctica in Illustri Bernatum Academia disputavit, imprudenter scripsisse, Auctorem Anonymum docere *Hominem ex tribus Substantiis esse compositum*. Contrarium liquido constat ex Statu Controversiæ clare posito his verbis: *Dieser Satz hat auch keine Gemeinschaft mit einem andern, der lehrt, daß ein jeder Mensch aus 3. Theilen bestehe, indem Wir dieses ganze Loos allein den Wiedergeborenen zulegen.* p. 9.

§. IV.

(a) In quibus nomen suum profitetur Autor Dissertationis Epistoliciæ: Et quæ in hocce Paragrapho de iniquioribus quibusdam censuris ac judiciis moventur querelæ, respiciunt in hac causâ Thesew's illius, quæ nuper Bernæ inter alias pro vacante Cathedra Theol. Elencticiæ publice ad disputandum proposita est injuriam, quam jam publice arguunt Nova Literaria Museo Helvetico subjuncta.

(b) At hæc non tribuenda sunt Clariss. τῷ νῦν ἐν ἀγίοις *Fischer*o, cui hæc Thesis cum ceteris, aliunde præscripta, forte obtigit defendenda.

§. IV. Qui vero Dogma Evangelicum de *Regenitis ex Spiritu, Anima & Corpore* constantibus, novitatis vel Fanaticismi aut Erroris accusant, nequidem versati sunt in Historia Theologica, multo minus norunt discernere inter solida Argumenta, inter præcipuas Veritates Evangelicas in Ecclesia Protestante receptas, ac ea quæ incerta & erronea sunt. Non quidem novum, quod datur, absolute rejiciendum. Nova, quæ Spiritus novus dicitur, quæ claris rationibus adstruuntur, æque vera recte habentur ac vetera. Scriba Regni Cælorum apte ex Corde suo depromit non solum vetera, sed & *navæ nova* Matth. XIII. 52. Non tamen Doctrina, quæ propugnatur, inter novas referri potest, ut exemplis probatum est p. 61. - - 64. Peropportune *Auctor Dissertationis Epistolice* p. 317. Verba *Arctii, Theologi Bernensis eximii* excitavit. Quod Bernenses probant in Theologo optimæ famæ proprio, quomodo HIC rejicit hoc ipsum in extero? Si res hæc Auctori agenda & defendenda foret, plura testimonia, etiam perantiqua, ut *Irenæi, Ambrosii, Origenis, Athanasii, Theophylacti, Tatiani, Tauleri* & aliorum in medium proponi possent. Sed arcti cancelli, quibus inclusi sumus, prolixitatem nunc prohibent. Si qui alii metuunt a Fanaticismo hoc in Themate latente, discant prius, quid Fanaticum sit. An Fanaticismi ullum vestigium in Dogmate, quod ex Sacris distincte & varie probatur, Testimoniis etiam exegetice tractatis ac Nexu Veritatum Evangelicarum? Unde porro fuit liberum id esse ab errore, quod tot Argumentis Scripturæ, iisque claris & fortibus asseritur. Imo judico ex Ar-



gumentis primis, quæ contra Pelagianismum & Hostes Operationum Spiritus S. ad Salutem necessariarum militant, Assertum esse nostrum. Jugulum talium Errorum inciditur Doctrina de Regenitis constantibus ex Spiritu, Anima & Corpore. Quum Pelagiani & omnes, qui Vires naturæ in salute nostra nimium extollunt & sibi favere judicant, ament Positionem *Hominem nonnisi constare Corpore & Anima*. Et quare toties in Precibus, in Canticis, expetimus *Spiritum sanctum habitantem, regenerantem, illuminantem &c.* Corda nostra? An serio precamur? Vel an ludimus? Si prius, testamur Eum Natura nobis non inesse, Gratia Dei dari, Christianum adeoque habere præter Animam & Corpus etiam Spiritum Dei. Sed satis de his.

§. V. Malo in posterum agere cum *Auctore Dissertationis Epistolice*. Ut ipsi sum *Anonymus*, ita mihi est *innominatus*. Probo Dissensum ejus in Exegesi Verborum I. Theff. V. 23. modestum, rationalem, Examini propositum. Hac Via magis & magis pervenimus ad Veritatem latentem vel nodos intricatos mutuo amico Colloquio solvimus, saltem Libertatem dissentendi cum pace & simul æstimatione damus. Valeat Paulinum: *Unusquisque certus sit in Mente sua*.

§. VI. Salva pace, quæ mihi cum Innominato intercedit, noto Titulum *de Tribus Hominis cælitus renati Partibus Essentialibus* meum non esse. Studio (c) abstinui

(c) Agnoscit Autor Dissertationis Epistolice, (quem *Innominatum* appellare placet,) innoxium hunc errorem, ita emendandum: *De tribus essentialibus hominem cæli-*

abstinui tum in Titulo , tum in Libello a Phraſi  
**drey Weſentliche Theile eines Wiedergeborenen.**  
 Novi enim , quam contentioſi eſſe ſoleant quidam  
 fervidiores noſtri Ordinis. Quare ne vel inno-  
 centi Verbo tales exacerbarem , ſolicitus ſcripſi :  
**Das ganze Loos eines Wahren Glaubigen ,**  
**Geiſt , Seel und Leib /** judicans me anſam liti-  
 gandi potius præſcindere , ſi cum Scriptura lo-  
 querer & omitterem Phraſin captioſam **drey we-**  
**ſentliche Theile.** Aliis quidem libertatem liberius  
 ſcribendi do ac probo , cuncta , quæ lego , in  
 meliorem partem vertens , quum ipſe , ſi mihi  
 præſens ſum , hac non utar Libertate. Dein  
 noto Verba in Parentheſi p. 313. (*præter Animam*  
*& Corpus , quæ Hominis , qua talis , integra Sors ſit*)  
 quæ (d) mihi adſcribuntur , quæ tamen mea  
 curate loquendo non ſunt. Animam integram  
 Sor-

*tus renatum conſtituentibus :* Quanquam ejus in Diſſenſu  
 de loci Paulini vera ſententia nullum ſit momentum.  
 Quam difficile autem ſit hunc errorem non errare ſuo  
 nos exemplo docet Clariff. hujus Diſſertationis Apologe-  
 ticæ Autor infra §. IX. ubi hæc leguntur verba : *Verum*  
*eſt Animam & Corpus eſſe PARTES omnibus homini-*  
*bus communes , verum præcipua PARTE deſtitutis.*  
 Ita in Libello germanico pag. 28. Spiritum S. appellat  
 den vornehmſten Theil. Et pag. 25. Spiritus , Anima &  
 Corpus vocantur Theile des ganzen Looses der Wieder-  
 geborenen. Et infra ſub finem §. IX. *Apoſtolus ſtatim*  
*ſubjicit PARTES , Spiritum , Animam & Corpus.*

(d) At vero hæc verba diſerte tanquam communis  
 omnium chriſtianorum Theologorum ſententia propo-  
 nuntur ; non vero Clariffimo Viro tanquam ſua trans-  
 ſcribuntur.



Sortem non habeo, quippe (e) *ὑσέρημα* est, non *δουληρία*, tota Sors. Quanquam verum sit, quod irrogenitus constet tantum ex Anima & Corpore. Denique noto Verba p. 315. *Utrum Πνεῦμα in omnibus iis Locis, in quibus a Ψυχῇ distinguitur, necessario Spiritum S. designet? Quod quidem doctissimus Anonymus affirmat.* Quæ vero ego nonnisi restringo ad Loca allegata, speciatim ad I. Theff. V. 23. non vero (f) extendo ad omnia Loca, in quibus Πνεῦμα a Ψυχῇ distinguitur. Nondum enim omnia Loca evolvi, multo minus curate examinavi, an eadem ubique obtineat mens. Non memor sum, quod affirmaverim omnibus in Locis, in quibus *Spiritus* ab *Anima* distinguitur, Πνεῦμα necessario Spiritum S. designare.

§. VII.

(e) Quo sensu Anima & Corpus, quæ totum Hominem in statu Naturæ consideratum constituunt, *ὑσέρημα* dici possit, Autor Dissertationis Epistolice non intelligit; neque proin rationem perspectam habet, quominus Anima & Corpus tota hominis in statu naturæ, seu qua talis considerati Sors possit sensu vero & commodo appellari. Quid enim deest homini *ψυχικῶ*, quominus totus quantum quantum est talis sit, si modo corpus & *ψυχὴν* habet.

(f) Neque vero Autor Dissertationis Epistolice hæc ad omnia sine discrimine loca extendit: Loquitur pag. 315. de applicatione *Thesew* a Celeberr. Anonymo defensæ, & quam ipse hæcenus a variis criminationibus vindicaverat, ad hæc vel illa S. Scr. loca, in quibus *πνεῦμα* & *ψυχὴ* tanquam distincta memorantur, & quæ ad confirmandam hanc *Thesin* a Doctiss. Anonymo fuerant excitata, atque de his affirmat, in Singulis sive *omnibus IIS locis* hanc *Quæstionem* redire seorsim discutiendam: *Utrum πνεῦμα & ψυχὴ necessario essentielle discrimen involvant? adeoque πνεῦμα de Spiritu S. necessario accipiendum sit.*

§. VII His præmissis, quæ Mentem Verborum meorum distinctius determinant & non tam propter æquissimum ac doctissimum *Dissert. Epist. Auctorem* a me monita sunt, sed propter minus æquos Censores, qui forsan Libellum meum Germanicum nunquam vident aut legunt, ad occurrendum iniquæ Censuræ, nunc statim progredior ad Argumenta, quæ Innominatus Auctor meæ opposuit Explicationi Verborum I. Thess. V. 23. Iste bene observavit pag. 315. Argumentum, quod ex loco citato profero pro *tota Sorte regentorum, Spiritu scil. Anima & Corpore*, si vel maxime robore probandi careret, thesin meam nondum infringere. Nec enim unicum est, nec etiam præcipuum. Quoties evenit, ut unum vel alterum Argumentum minus selectum thesin non corroboret, quæ tamen fundatissima est ob alias validas rationes. Innumera prostant Exempla, quæ igitur memorare supersedeo. Tentabo tamen, an Auctori, qui rationes amat, vel saltem aliis Lectoribus, ad Difficultates propositas valeam satisfacere. Dein conferam Explicationem meam cum Auctoris, experturus quænam præferenda vel saltem majorem præ se ferat speciem.

§. VIII. Eruditissimus Auctor sequentiâ, quominus album calculum Exegesi meæ adjicere possit, in medium profert pag. 319. *Et quidem Anonymus illud ὁλόκληρον ὑμῶν substantive vult accipi, quasi commune genus seu totum ex partibus integrantes constans designaret; quapropter etiam a reliquis per comma sejungit: Sed quum Adjectivum sit ὁλόκληρον, necessario si substantive accipiendum foret,*



ret, *Articulum ante se requireret, atque scribendum fuisset*: καὶ τὸ ὀλόκληρον ὑμῶν, τὸ Πνεῦμα, καὶ ἡ Ψυχὴ, καὶ τὸ Σῶμα, ἀμέμπτως τηρηθεῖν. Si vero ὀλόκληρον *Articulo destitutum Adjective accipiendum est, additum ὑμῶν diserte monet de humano, neutiquam vero de Divino, Spiritu h. l. sermonem esse.* R. Ita est. Ὀλόκληρον substantive accipio. Non dico, quod Substantivum, sed quod substantive accipiendum. Quam frequens, quod Adjectiva, maxime Neutra, vim Substantivorum habeant! Unde Observatio Glassiana: *In Græcismo Neutrum Adjectivi pro Substantivo ponitur v. p. 536, 537. & p. 592. Notandum insuper in Hellenismo N. Testamenti adjectivum neutrum, quod PRO SUBSTANTIVO ponitur, eadem Constructione suum Substantivum in Genitivo Casu post se regere.* Nec Glassus observat tantum, sed plurimis Exemplis probat. (g) Quæ ergo Difficultas, quod ὀλόκληρον adjectivum neutrum pro Substantivo habeam? *Tota Sors vestra?* Objicit innominatus Auctor tale Adjectivum necessario postulare *Articulum ante se καὶ τὸ ὀλόκληρον ὑμῶν.* R. Necessitatem non video. (h) Nam

(g) At nemo hic quisquam difficultatem quaerit: Ipse Auctor, Dissert. diserte ponit Adjectiva sæpe Substantive accipienda esse: Neque de Syntaxi horum adjectivorum Substantive acceptorum ullum movit scrupulum. Hæc ergo ad rem parum faciunt.

(h) Non aliter fert Linguæ Græcæ usus, siquidem adjectivum neutrum Substantive accipiendum esse non nisi ex præfixo articulo cognoscitur. Neque sufficit ad Ellipses S. in genere confugere. Neque GLASSIUS, neque NOLDIUS vel unicum in hoc genere Ellipseos exemplum proferunt; sed in contrarium infinita. Et hoc palmarium est argumentum, ex constanti Linguæ genio

Nam Scriptura abundat Ellipsis non solum V. sed & N. Testamenti. Exempla dant NOLDIUS & GLASSIUS, Particularistæ Philologici eximii. Vide illum in *Concord.* p. 242, 243. Hunc vero in *Philol. S.* p. 696, 697. Objicit porro: *Si vero ὀλόκληρον Articulo destitutum adjective accipiendum est, additum ὑμῶν diserte monet de humano, neutiquam vero de Divino, Spiritu h. l. Sermonem esse* p. 319. Ex dictis facilis est responsio. Adjectivum, quod Naturam Substantivi assumit, (i) commode post se habere *Genitivum ὑμῶν tota Sors vestra* ut Rom. II 4. τὸ χρηστὸν τῆ Θεῶ pro χρηστότης τῆ Θεῶ. Sic I. Cor. I. 25. τὸ μωρὸν τῆ Θεῶ, τὸ ἀδενές τῆ Θεῶ pro μωρία τῆ Θεῶ, ἀδένεια τῆ Θεῶ.

§. IX. Secundo monet: *Dein quum illud ὀλόκληρον ὑμῶν reddit per totam Sortem vestram, significationem pro arbitrio determinat, usu neglecto.* R. Nescio, quomodo accuser (k) usus neglecti. Bis enim tantum Vox ὀλόκληρον occurrit, scil. in

petitum, quod assensum meum cohibet: Nisi enim doceri possit Adjectiva neutra ap. Græcos per Ellipsin Articuli promiscue pro Substantivis adhiberi; Certum est ὀλόκληρον h. l. Articulo destitutum adjective sumendum & cum Substantivo πνεῦμα conjungendum; atque additum ὑμῶν tum non patitur amplius ut de Spiritu S. cogitemus in h. l. Ergo quæ sequuntur non sunt *Objectio*; sed potius *Conclusio* pro contraria Interpretatione.

(i) De hoc vero non quæritur, idque extra controversiam est.

(k) Usus Linguae Græcæ multo latius patet, quam *usus biblicus*: At de isto loquitur Autor Dissertationis Epistolice; non de hoc.



in præfenti Loco & Jac. I. 4. Non ergo licet provocare ad Ufum, quafi frequentem, qui Notionem determinet. Quid vero agendum in Vocibus (1) rariffime occurrentibus? Judico attendendum effe ad Originem Vocis, tum ad fubftratam Materiam, num Notio ei conveniat: Atque ita certus fum de Significatu. Requifita hæc applico ad præfentem Cafum. Ὀλόκληρον (m) vi Originis notat *totam Sortem*. An hæc Notio ftare potefl cum Textu? Non video Impedimentum. *Spiritus, Anima & Corpus effe Sors integra venatorum*. Transponuntur in ftatum Integritatis, qui prius erant in ftatu ὑσερήματος Rom. III. 23. Hæc ipfa Notio commoda in altero loco Jacobi, *ut fuis τέλειοι καὶ ὀλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι*, qui cum noflro collatus fatis parallelus. Paulus primo memorat ὀλοτελείς, Jacobus τελείες, Ille poftea ὀλόκληρον, at Hic ὀλοκλήρες. Conveniunt quidem in communi Notione τέλειοι & ὀλόκληροι fed in Specie differunt. Illi describuntur a Perfectione, Purgatione, Sanctificatione, fed

(1) In vocum, quæ in Græco N. T. Codice rarius occurrunt, vera notione investiganda adtendendum præprimis eff ad Ufum Græcorum promifcuum, qui ne quidem in ceteris eff infuper habendus. Ita ipfi Theffalonicenfes non aliunde, quam ex ufu Græcorum promifcuo intelligere poterant, quid fibi vellet Apoftolus voce ὀλόκληρον: non poterant enim non ftatuere, eum hanc vocem adhibuiffe fignificatione ufitata. Altera enim ratio investigandæ notionis vocabulo rarius obvio fignificatæ ex Origine & Etymologia nimis fallax eff, quam ut ipfi tuto poffit haberi fides: Quoties non ea fignificatio, quæ ab Etymo propagata effe videtur, ufu penitus obfolevit?

(m) At repugnat ufus loquendi.

sed hi a tota Sorte, quæ veram beatitudinem adfert, qualem Protoplasti in Statu *Integritatis* possederant: Quales, Jacobo iudice, *nulla re indigent, non Puritate, non Sorte.* Innominatus instat: τὸ ὁλοκληρον *substantive acceptum idem esse, quod ὁλοκληρία, hoc vero nusquam totam Sortem, seu totum quasi ex Partibus constans denotare.* R. Prius concedo, sed quid tum? An ergo (n) nequie denotare *totam Sortem?* Consequentia clara non videtur. Vult Origo (o) Vocis; vult substrata Materia; Uterque (p) Locus Pauli & Jacobi. Minime obstat Act. III. 16. ubi ὁλοκληρία de Integritate Corporis prædicatur: Claudus antea non erat corpore integer: Liberatus a claudicatione, donatus facultate incedendi ὁλοκληρίαν accepit: Quod defuit, datum ei erat. Varia datur ὁλοκληρία, corporis, victimarum. Substrata Materia determinat specialem Notionem. Pergit instare: *Et quamvis Vocatio Christianorum ad Spem sempiternæ Felicitatis κληρος ἐν τοῖς ἀγιασμένοις Act. XXVI. & μερὶς τῆ κληρῶ τῶν ἀγίων Coloff. I. 12. dicitur: Anima tamen & Corpus nusquam ἐν τῷ κληρῷ τῶν ἀγίων adnumerantur, neque etiam ad Sortem seu hæreditatem renatorum pertinent, quia has partes cum cæteris hominibus, etiam irrogenitis, communes habent.* R. Verum est, Animam & Corpus esse Partes omnibus Hominibus, etiam Irrogenitis, com-

(n) Non significat vox quicquid significare potest: Sed id tantum quod usus, penes quem jus est & norma loquendi, voluit.

(o) At non patitur usus.

(p) Hoc ipsum est τὸ ζητούμενον.



communes, verum præcipua parte destitutis. Sed longe alia ratio est Animæ & Corporis conjunctæ cum Spiritu S. & ejus Operationibus. Ejusmodi Anima cum Corpore constituit integram ac felicem Sortem Christiani: Spiritus S. non (q) potest solus *ὁλοκληρία* renati haberi, imo nequidem concipi. Protoplasti integri præter Spiritum habuerunt (r) Animam & Corpus; His similes renovati ad eandem Imaginem Dei. Porro pergit instare: *Est quidem ὁλόκληρον Vi Compositionis, tota Sorte constans, QUOD OMNE ID HABET, QUOD SORTE OBTIGIT; adeoque involvit primitus respectum aliquem ad Sortem, sive HÆREDITATEM SORTE OBLATAM: Sed hic respectus in compositione ex Usu penitus obsolescit, SERVATA TANTUM INTEGRITATIS ET PERFECTIONIS, & physicæ & moralis, Notione, quæ excludit*  
*CUM*

(q) Celeberr. Anonymus in Libello suo pag. 27. Das ganze Loos der Glaubigen ist nicht Seel und Leib; sondern Geist, Seel und Leib, und zwar vornemlich der Geist. Et pag. 28. Des Glaubigen ganzes Loos ist nicht Seel und Leib, so sie gemein haben mit den Unwiedergeborenen: Der vornehmste Theil, der eigentlich die Seligkeit ausmachtet, ist der Geist. Et pag. 25. Denen Wiedergeborenen wird zugeschrieben ein ganzes Loos, dessen Theile hernach beschrieben werden, der Geist und die Seel und der Leib. Quomodo vero *ψυχή καὶ σῶμα* possunt esse hæreditatis fidelium partes seu portiones distinctæ a Spiritu, quanquam non divisæ?

(r) Protoplasti quatenus erant homines, habuerunt Animam & Corpus: At quatenus erant integri h. e. I. imagine Dei exornati, Anima & Corpus non erant partes Integritatis illius, seu Imaginis divinæ. Videtis Libellum Anonymi germanicum pag. 34. §. 17.

*cum omnem DIVISIONEM seu Partitionem ; tum vero etiam DEFECTUM omnem aut Vitium* R. (s) Compositio Vocis & respectus juvat Anonymum. Exegetæ communiter probant Notionem, quæ latet in vocibus compositis & naturali ejus respectu, nisi quid obstat. At in Loco Quæstionis nihil obstat. Non Usus obsoletus. Scriptores N. Testamenti (t) hunc usum habent & non alium. Bis tantum occurrit. In utroque Loco commoda est Notio *tota Sors*, maxime in Paulino nostro. Non exprimit simplex vocabulum κληρος, sed compositum δόκιμον Sortem integram, totum ex Partibus constans. Statim subjicit Partes ; Spiritum, Animam & Corpus. Notio, quæ facillima. Quæ sequuntur ad Obj. II. ex antecedentibus clara sunt.

§. X. Objectio tertia. *Præterea non possum admittere, quod tamen Anonymus tanquam Principium & Fundamentum suæ Interpretationi substernit, quasi Πνεῦμα & Ψυχὴ, QUOTIESCUNQUE IN ALIQUO LOCO CONJUNCTA legantur, essentielle Discrimen inferant, eo fere modo, quo Ψυχὴ καὶ Σῶμα.* R. Non memor sum me simpliciter pro fundamento præcipuo posuisse ; Πνεῦμα & Ψυχὴ quoti-  
O o 2
escun-

(s) Hic determinatur vera Notio hujus vocis, quam constans usus confirmat. Et Exegetæ non debent spectare, quid vocabulum ex derivatione significare possit, nec Significatum ex sensus opportunitàte determinare vel-  
 le, si usus repugnet.

(t) Supra §. IX. legimus: *Cum bis tantum occurrat in N. T. non licet provocare ad usum quasi frequentem, qui Notionem determinet.* Quæ verba mea nunc facio.



escunq̄ue in aliquo Loco conjuncta legantur, *essentiale Discrimen inferre.* (u) Si quoque ita scripsissem, non considerate egissem. Nondum omnia Loca evolvi perpendique, ut jam supra dixi, scripsi relative ad certa Loca Jud. 7. 19. I. Cor. II. 14. 15. Ubi opponuntur ψυχὴ & πνεῦμα, ψυχικὸς & πνευματικὸς. Nec non ad I Thess. V. 23. & Hebr. IV. 12. ubi clare distinguuntur. Pro Notione in citatis locis teneor stare.

§. XI. Conferamus tandem Explicationes Anonymi & Innominati; Utra convenientior & fortioribus fulcris innitatur. Doctissimus & moderatus Innominatus Auctor *Dissert. Epist. p. 320, 321.* scribit: *Vel ostendat nobis doctissimus Anonymus, quid illa Interpretatio, quæ v. c. πνεῦμα per facultatem intelligendi, ψυχὴν vero appetendi facultatem; vel etiam πνεῦμα per facultates Animæ superiores, ψυχὴν autem per inferiores, explicat, quid inquam illa Interpretatio habeat, quod ab Usu Vocabulorum sacro & profano, a mente Pauli imprecantis, ab Analogia fidei, a pietate, alienum sit, ut proinde necesse fuerit de Spiritu S. hic cogitare: Neque fecundiores pietatis sensus subministrat illa, quam præfert Anonymus, Interpretatio.* Anonymus respondet: In Explicatione Innominati Auctoris nihil inve-

(u) Sit ita. Quæritur tamen de locis a Celeber. Anonymo allatis, utrum hæc vocabula πνεῦμα & ψυχὴ ESSENTIALE discrimen *necessario* involvant in omnibus illis locis adductis. Certe quod ad locum nostrum adtinet, In Libello germanico p. 26. seq. *essentiale* hoc discrimen inde tantum probatur, quia πνεῦμα possit hanc significationem suscipere, atque ex opportunitate sensus; At hæc nonnisi levem probabilitatem pariunt.

invenio , quod alienum a pietate, Analogia fidei , Usu Verborum sacro & profano , quando Πνεῦμα exponit per facultatem intelligendi, Ψυχὴν vero per appetendi, vel etiam Πνεῦμα per facultates Animæ superiores, Ψυχὴν autem per inferiores, vel etiam p. 322. ubi Πνεῦμα per Intellectum , Conscientiam , superiorem Animæ Partem, qua sapimus & intelligimus, exponit, sed Ψυχὴν per inferiores partes, quas cum brutis Animalibus habemus communes.

Quærit quoque Anonymus : *An Explicatio, quam dedit, sit aliena a Pietate, Analogia fidei, vel an sit Fanaticismi macula polluta?* Debitas solvo grates, quod ex amore Veritatis, æquitatis ultro in genere Partes meas sumserit, defenderitque, quanquam in Loco I. Theff. V. in quibusdam liberum (quod omnino probo) dissentium suum apertum fecerit.

§. XII. In quo ergo dissentimus? Videamus. Anonymus Verba Pauli καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ Πνεῦμα καὶ ἡ Ψυχὴ καὶ τὸ Σῶμα ita distinguit, ut primo Genus ponat in Verbis (w) καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν, subjuncto signo distinctivo. Dein tres species τὸ Πνεῦμα καὶ ἡ Ψυχὴ, καὶ τὸ Σῶμα. Judicat enim Punctum discretivum post ὑμῶν recte exprimi. Etenim signa hæc non sunt Auctoritatis Divinæ, sed in Libertate exercitati Exegetæ probe attendentis ad circumstantias Textus, quæ vero, ut ex antecedentibus liquet, hanc Expli-

O o 3

catio-

(w) At obstat Linguæ Græcæ indoles & usus, quia doceri non potest Ellipsin Articuli in ejusmodi Syntax posse habere locum.



cationem facillime admittunt, imo tantum non  
 poscunt. Vulgatum est præmissio genere subjici  
 Species. Commode refertur ὑμῶν ad ὁλόκληρον,  
 quod proxime antecedit. Possessiva, quale ὁλόκλη-  
 ρον, amant Genitivum post se. Idem Anonymus  
 Πνευμα distinguunt tum ab antecedentibus tum a se-  
 quentibus. Constructio facilior est, quia Articulus  
 τὸ præponitur Πνεῦμα & ita ordinario docet novum  
 indicari Subjectum. Si vero ὁλόκληρον adjective su-  
 mendum, (x) credibiliter legeretur τὸ Πνεῦμα ὑμῶν  
 ὁλόκληρον, non vero ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ Πνεῦμα.  
 Præterea minus commode ὁλόκληρον restrictive præ-  
 dicatur de Spiritu, tum quia Spiritus solus, ma-  
 xime in Significatu, (y) quem amat *Auctor Dis-*  
*sert.* non est *integra Sors* vel *Integritas*. Integer non  
 solum poscitur Intellectus sed & Voluntas, Ap-  
 petitus, tum quia Articulus ἡ ψυχῆ, τὸ σῶμα sic  
 diversum subjectum denotat, ut τὸ Πνεῦμα. Ni-  
 hilominus ut omnia tria subjecta comprehendan-  
 tur Genere ὁλόκληρον, natura rei poscit. Tota Sors  
 (z) non est *Spiritus*, quanquam rector sit Animæ  
 & Corporis. Unde etiam primum locum habet.  
 Idem Anonymus per Πνεῦμα Spiritum S. cum  
 Operationibus suis in regentis habitantem, do-  
 minan-

(x) Autor Dissert. Epistol. inter hæc non aliud discrimen invenire potest, quam inter τὸ πολὺ αὐτοῦ ἔλεος, & τὸ ἔλεος αὐτοῦ πολὺ, nisi quod illud græcas aures magis delectet.

(y) Non quæritur, quid melius conveniat cum Hypothesi aliqua, sed quid loquendi ratio & series orationis poscat.

(z) Vide supra ad §. IX.

minantem intelligit. Ratio. (a) Vox πνεῦμα multoties hunc significatum in sacris (quæ in Mysteriis sequenda sunt, non Auctores profani, qui de his nihil sciunt) habet veluti Joh. III: 5, 6. Joh. VI: 63. II. Cor. III: 8, 17. Gal. III: 2, 3, 5. Eph. IV: 23. Conf. Tit. III: 5, 6. I. Theff. V: 19. I. Pe. I: 2. I. Joh. III: 24. IV: 13. Ne alia conquiram. Quis ægre ferret Notionem Vocis, quæ in Scriptura, quæ toties occurrit, quæ in Nexu exstat ψ. 19. quæ sensum Evangelicum dat, quæ distincte & plene ὀλόκληρον per Partes deducit ?

§. XIII. Innominatus vero *Auctor Diss. Epist.* recedit a primaria (b) Notione ὀλόκληρον, ab (c) usu ejus in sacris: Bis enim tantum occurrit & commode Anonymi Notio retinetur. Notio vero, quam is dat, nec respondet (d) Origini Vocis, nec distinguit a τέλειοι Jac. I: 4. Eligit (e) trajectionem Constructionis, quam tum  
 O o 4 de-

(a) Pari ratione qui secus sentiunt argumentari possunt: Vox πνεῦμα multoties in sacris hunc significatum non habet: Ergo neque h. l. necessario habet. Et si πνεῦμα de Spiritu humano accipiendum est, quidni etiam Auctores profani circa usum & veram significationem vocis essent consulendi: Quum S. Scriptores novam non excogitarint Linguam.

(b) a ficta ejus notione.

(c) Usus sequitur Græcorum promiscuum: Quum usus hujus vocis biblicus nullus sit & ambiguus; neque etiam aliunde, nisi ex usu promiscuo determinari possit.

(d) Utrumque hoc assertum simpliciter negatur.

(e) Sequitur potius simplicem & naturalem verborum ordinem & græce loquentium usum.



demum sequimur, si necessaria est. Ὀλόκληρον ad *Spiritum* restringit, quum Vox extendenda simul (f) ad Animam & Corpus, ceu quæ conjuncta Ὀλόκληρον constituunt. Tandem exponit Πνεῦμα per Intellectum & Facultates superiores, sed Ψυχὴν per appetendi facultatem, & facultates Animæ Inferiores. Quæ Explicatio videri posset magis sumpta ex Philosophia sequentis ævi, omittit sensum palmarium. Si enim Πνεῦμα, Ψυχὴ sensu Auctoris dicto accipiuntur, *Conservatio* quæ Summum, Spirituale, Evangelicum Beneficium est, ita sisteretur nonnisi (g) Terminis Naturalibus, quippe memorat tantum Spiritum, Animam & Corpus, quæ Bona sunt Naturalia. Unde etiam Mens dicti Paulini sensum Evangelicum non contineret.

Sufficiant hæc, quæ salva Amicitia ad penitus scrutandam Partem Voti Paulini collecta sunt. Judicium esto (h) penes Lectores a partibus liberos, avidos

(f) Hæc est mera petitio Principii : Hoc est ipsum τὸ μέγα λίαν ζητούμενον.

(g) Subjectum & Sanctificationis & Confirmationis non potest nisi Terminis naturalibus fitti seu representari secundum omnium Theologorum consensum ; Et beneficium ipsum Sanctificationis & Confirmationis verbis ἀγιασάσαι ὑμᾶς & ἀμέμπτως τηρηθεῖν disertè explicatur ; ut hæc Consequentia, q. vulgaris Interpretatio Dicti Paulini sensum Evangelicum non contineret, nulla prorsus sit.

(h) Eadem quoque mens est Dissertationis epistolice Autori : qui interim Venerando ac Doctissimo hujus Responsorice Dissertationis Autori obstrictum se esse profiteretur, quod suum circa Paulini illius loci interpretationem dissensum æquius, quam vulgo fieri solet, fuerit

avidos Veritatum, etiam specialium, nonnihil latentium: Si vixero & cognovero, me rem acu non tetigisse, victas manus veritati dabo.

Deus Veritatis ducat nos in omnem Veritatem!

interpretatus, atque ut has quoque stricturas boni consulat, etiam atque etiam rogat. Ceterum facere non possum, quominus h. l. adjiciam Venerandi Viri J. J. LAVATERI ad Celeberrimum Libelli *de integra Renatorum Sorte* Autorem perscriptum de tota hac causa iudicium, quod ita habet: „ Unum est de quo ex Te „ bona cum venia tua aliquid quærere velim. In Præ- „ fatione, postquam dixeras, Thesin tuam tam clare „ in Scriptura S. revelatam esse, ut mirum sit, illam a „ quopiam, qui Scripturam S. agnoscit, in dubium vo- „ cari, hæc verba adjecta lego: *Es scheint mehr ein „ Wortstreit zusehn, als ein wesentlicher.* Quod si ergo „ quis agnoscat, vere Fideles habere Spiritum Dei, quo „ aguntur, & procul absit ab illis, qui Pelagiana dog- „ mata sapiunt, & omnes internas Spiritus Dei in Ho- „ minibus operationes negant, immo rident; at non „ ideo tamen per *πνεῦμα*, Spiritum Hominis fidelis, di- „ recte intelligat Spiritum Dei, sed Mentem hominis „ cum Facultatibus ipsius, quas tamen non in statu suo „ mere naturali se habere, sed a Spiritu S. renovatas & „ sanctificatas esse, necesse sit, an in re ipsa multum „ hæc Sententia abiret ab eo, quod in illa Sententia, „ quam Tu proponis, præcipuum est, Fideles habere „ Spiritum Dei & Christi. Quominus in loco I. Thess. „ V: 23. per *πνεῦμα* intelligatur ipse Spiritus S. Chri- „ sti, sed potius Mens hominis fidelis, fateor, me ad- „ huc moveri hac ratione, quia alias videtur Spiritus „ Christi Objectum Sanctificationis constitui. Perplacet, „ quod observas, distincta esse beneficia Sanctificatio- „ nis & Conservationis. Sed de hoc dubito, an distin-



„ Etum fit utriusque beneficii Objectum. In primo enim  
 „ lemme extat: ὑμᾶς ὀλοτελεῖς: In altero ὀλόκληρον ὑ-  
 „ μῶν τὸ πνεῦμα. &c. Quæ phrasæ videntur esse æqui-  
 „ pollentes, ita ut etiam prior includat τὸ πνεῦμα, τὴν  
 „ ψυχὴν, & τὸ σῶμα Fidelium. Sed hæc prout inter  
 „ legendum scribendumve mihi inciderunt, libere Te-  
 „ cum communicare volui. Boni consule istam meam  
 „ Libertatem. „ Atque in hoc Viri Celeberrimi Judi-  
 „ cio penitus acquiesco; Eumque rogo ne in malam par-  
 „ tem accipiat, quod isthoc Judicium non prius consulto  
 „ Autore publicare ausus sum.

